



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 57. Concilium Romanum V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI.
A.C. 1078.

§. LVII.

Concilium Romanum quintum.

Eodem anno mense Novembri Papa Concilium celebravit Romæ in Ecclesia S. Salvatoris, quod Gregorio S. Petri Cathedram tenente quintum habetur. Aderat Berengarius, cumque ad abjiciendum errorem ab amicis urgeretur, tradita brevi confessione Fidei impetravit, ut ad Synodum secuturam in proxima quadragesima ejus causæ discussio differretur. In hoc vero Concilio Imperator Constantinopolitanus & plures

Bertold. an.
1078. *Ma-*
bill. præf. 2.
s. 6. n. 28.

alii excommunicati. Advenerunt etiam Legati duorum Principum, qui pro Regno Romani Imperii decertabant, Henrici & Rudolphi, atque quisque nomine Domini sui edito Sacramento promisit, neutrum eorum fraude usurum, qua Concilium in Germania a Sacræ Sedis Legatis celebrandum turbaret.

6. I.

In illo Concilio etiam non nulla Decreta ad Disciplinam Ecclesiæ spectantia condita sunt. Et primo quidem: Nemo, cujuscunque conditionis sit, terras Ecclesiarum, a Principe sæculari sibi concessas, aut Episcoporum, Abbatumve, ipsis invitis, retinere audeat. Istud præcipue ad Germaniam pertinebat. Nemo hominum, præsertim Normannorum, terras & prædia Montis Cassini usurpet. Nullus Cleri-

Clericorum Investituram Episcopatus, ^{Sæculum XI.}
 aut alterius Ecclesiæ de manu Princi- ^{A.C. 1078.}
 pis vel cujuscunque Laici accipiat.

c. 4.

Ordinatio Simoniaca, Clericorum po-
 pulique consensu destituta, aut quo-
 modocunque contra Canones peccans,

c. 5.

nulla sit. Pœnitentia nulla declara-
 tur, si Doctrinæ Patrum non sit con-
 sentanea, qualis est illorum, qui vitæ in-
 stitutum, quod sine peccato tenere non
 possunt, non relinquunt, qui rem alie-
 nam non restitunt, qui odium inimico-
 rum non restinguunt. Laici decimas

c. 8.

non possideant, nec Abbates, nisi auctori-
 tate Papæ, aut Episcopi Diocesani con-
 sensu muniti sint, quia secundum Cano-
 nes solis Episcopis debentur. Omnes

c. 12.

Fideles, cum Missa celebratur, oblatio-
 nem suam Altari imponant, si fructus Sa-
 crificii participes fieri velint. Episcopi

c. 11.

nec ullius favore ducti, nec amore pecu-
 niæ incontinentiam Presbyterorum vel
 Clericorum dissimulent. Omnes Episco-
 pi literas in suis Ecclesiis doceri curent.

Hæc præcipue in Concilio Romano de-
 creta. Præterea Guibertus Archiepisco-
 pus Ravennas depositus; quod ex epi-
 stola Papæ ad populum ejus data disci-
 mus, in qua exprobrat Guiberto, quod
 Ecclesiam olim opulentam tyrannorum
 more depopulatus fuerit, & pessimo vi-

Hist. Eccles. Tom. XV. C c tæ

Sæculum XI. tæ exemplo scandalum omnibus præbue-
 rit. Prohibet, ne quis ei ulla deinceps
 obediat.

VI. ep. 10.

Occasio pronunciandi sententiam ex-
 communicationis in eos, qui montem
 Cassinum depopularentur, hæc fuit.
 Quidam Episcopus magnam pecuniæ vim
 in illo Monasterio deposuerat, quod cum
 ad notitiam Jurdani, Principis Capuani,
 devenisset, milites misit cum mandatis;
 hoc aurum ex ærario Ecclesiæ raperent,
 quod ipsi, monachis frustra reluctantibus,
 & pii Depositi fidem objicientibus, exe-
 cuti sunt. Hoc comperto Gregorius Papa,
 Ecclesiam interdixit, & socordiam Desi-
 derii Abbatis, monachorumque, qui tan-
 tum Sacrilegium committi passi fuerant,
 vituperavit; dicebat enim, minus ma-
 lum esse, permittere, ut prædia & arces
 monasterii destruerentur, quam patien-
 ter ferre, ut locus sacer & omnibus Fide-
 libus venerabilis profanaretur. Postea in
 Concilio illud Decretum, quod memora-
 vimus, edidit, & data post aliquot men-
 ses ad Jurdanum epistola, eum, ob istud
 aliaque plura contra fas acta vehemen-
 ter objurgatum, damna resarcire iussit.

VI. ep. 37.

§. LVIII.